

IGNATIUS RICHARDUS DANKA
Cathedra Philologiae Classicae
Universitas Lodziensis

UDC 811.14'02'373.2

DE PELASGIS – GRAECIAE ABORIGINIBUS

Abstract: The author discusses some questions connected with the religion and the native language of the Pelasgians, the Pre-Greek people of Indo-European origin. The Pelasgian vocabulary and phonology can be reconstructed on the basis of numerous borrowings attested in the Greek lexical and onomastical sources. It is concluded that Pelasgian belonged originally to the South Balkan subgroup of the Indo-European protolanguage (“Balkan-Indogermanisch”) and demonstrated a phonological (and not lexical) similarity with the Thracian language.

Ante Graecos Graeciae regiones ac Cretam Pelasgorum gens incoluit. Ita Herodotus (*Hist.* I 56; II 50; VII 44) affirmat, Thucydides autem (*Hist.* I 3) Pelasgorum gentem temporibus antiquissimis terram, quae nondum Ἑλλάς appellata esset, Pelasgo nomine latissime notavisse putat. Posteriores historiographi: Strabo Amasiotes, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassensis et Apollonius Rhodius – poeta epicus Pelasgos olim singulas Graeciae regiones: Thessaliam, Epirum, Atticam, Boeotiam, Arcadiam, Argolidam incoluisse testantur. Homerus (*Od.* XIX 172-177) Pelasgos unam ex Cretae gentibus esse dicit.

Pelasgorum linguae propria suffixa: -ισα (-ισσα), -ισο- (-ισσο-), -νθ- in Thessaliae oppidorum (Λάρισα, Λάρισσα), Graeciae fluviorum (Παμισός, Κηφισός, Ἴλισσός, Λάρισος), Atticarum tribuum (Προβάλινθος, Τρικόρινθος), Cretae oppidorum (Σύρινθος, Πύρανθος) nominibus inveniuntur.

Homerus, rerum gestarum scriptores ac Pausanias geographus de Pelasgorum deis et religione pauca narrant. Quae religio rusticā naturā praedita Italicis, Balticis et Slavicis, cultibus similis est. Nihilominus Pelasgi sicut Thraeces equitum classi proprium Indoeuropaei Iovis, caelorum lucisque supremi dei, deorum hominumque patris cultum servaverunt. Homerus (*Il.* XVI 231) Iovem Dodonaeum Pelasgum vocat. In *Odyseea* (XIX 177) Pelasgi δῖοι ‘Iovis proprii’ vocantur. Thracum gens quaedam fuit, item Δῖοι vocata.

Pelasgus – Pelasgorum progenitor, a quo ipsi nomen habent, ut Dionysius Halicarnassensis (*Ant. Rom.* I 17, 2-3) testatur, Iovis et Niobae filius fuit.

Terra – magna dea, Graeco nomine Δημήτηρ vocata et eius deus socius Graece Ποσειδῶν appellatus Pelasgorum dei terrestri natura insignes sunt. Quorum deorum in Pelasgis nominibus elementum *Dā-* / *Dō-* terram significans haeret. Huius vocabuli antiquior forma *Gdā(m)*, *Gdō(m)* Indoeuropaeam vocem, terram reddentem, **dǵhōm* (cf. Graec. χθών, Sanscrit. *kṣam-*) continuat.

Herodotus (*Hist.* II 171) Pelasgas mulieres in Peloponneso sacra deae nostrae fecisse narrat. Pausanias autem (*Gr. descr.* II 22,1) in Argis Δήμητρος Πελασγίδος templum esse dicit.

Huius Pelasgorum Terrae deae socius deus apud Homerum Ποσειδάων, apud Dores Ποτιδάς vocatus (i.e. Terrae Maritus aut Terrae Dominus), fuit. Lituanici dei *Žemėpatis* dicti nomen idem valet et analogicum est. Pausanias (*Gr. descr.* VIII 25, 5) Terrae deae et Terrae Domini dei coitum describit.

Vini et agriculturae patroni dei Bacchi, qui apud Graecos vulgo Διόνυσος vocabatur, cultus multo antiquior fuerat, quam nuper viri docti opinati sunt.

Pelasgi sermone Thracibus proximi fuerunt. Bacchi matris Semelae nomen aequae Thracium ac Pelasgum est et terram significat. Σεμέλης enim nomen ab Indoeuropaeo **ǵhem-* ‘terra’ (! Lat. *humus*, Lit. *žėmė*, Palaeoslav. *zemlja*) oritur. Idem suffixum *-elo-* in eiusdem Indoeuropaeae originis Paelignae deae terrae nomine *Famel* et in Phrygio Ζεμελω invenimus. Bacchi nomen a Pelasgā (ac Thraciā) appellatione **Διφασ-συνυς* (‘Iovis filius’) ortum esse potest. In altera compositi nominis parte, scilicet, metathesis accidit.

Carmina Bacchi sacra, quibus deus adorabatur ac laudabatur, Pelasga nomina habent: ἴ-αμβος, θρί-αμβος, διθύρ-αμβος. Composita substantiva sunt, quorum partes priores linguae Pelasgae propria numeralia continent: *(*d*)wi- ‘2’, **thri-* ‘3’, *čethur-* ‘4’.

Minerva (Graece Ἀθήνη, Dorice Ἀθάνα, Mycenice *a-ta-na-po-ti-ni-ja*, i.e. Ἀθάνα πότνια) patrona Athenarum urbis, quae olim Pelasgae Atticae caput fuit, Pelasgum quoque habet nomen: **Athānā*. Cuius forma principalis eademque Indoeuropaea **Atānā* / **Attānā* ex Indoeuropaeo vocabulo patrem aut paterculum sive papam significante: **atos*, **atta* derivata est. Hanc Indoeuropaeam vocem Cheticum *attaš* ‘pater’, Albanicum *at* ‘id.’, Palaeoslav. *отць* ‘id.’ (< Indoeurop. **at[t]ikos*), Graec. Lat. Got. *atta* ‘papa’ continuant. Omnino patris sui (Iovis) igitur est dea **Atānā*.

Lunae deae nomen Σελήνη atque ipsius sideris vocabulum (Atticum σελήνη) ex Pelasga voce σέλας ‘lux, nitor’ derivatum est. Id Pelasgam deae originem testari videtur.

Testimonia historica gentem, quae ante Graecos Graeciam incoluit, Pelasgos esse bene arguunt. Attamen directe Pelasgorum linguam nescimus. Graeci ex aboriginum lingua multa verba in suum sermonem asciverunt. Quae ascita verba Pelasga origine fuisse mihi aequae atque aliis linguarum indagatoribus (imprimis V. Georgiev, A. J. van Windekens, A. Carnoy, W. Merlingen, O. Haas, E. P. Hamp dico) rectum videtur.

Vladimirus Georgiev (1958 etc.) hanc linguam Pelasgam Indoeuropaeam origine esse egregiis operibus docte demonstravit. In Pelasgo sermone, scilicet, alia phonetica iura omnino alio modo quam in lingua Graeca aut ceteris Indoeuropaeae familiae linguis operari solebant atque eorum effectus in phonetica vocabulorum forma observandi hic et illic diversi sunt. Eiusdem Indoeuropaeae originis verba in variis cognatis linguis inventa variam formam habent. Quam ob rem etiam vocabula Pelasga a respondentibus origine vocabulis Graecis aut aliis Indogermanicis saepe sonis reddita formā significanter differunt. Infra lexicī Pelasgi eius partis, cui Graeca vocabula origine respondent, exempla protrahuntur. Ea quoque phoneticam utriusque linguae differentiam illustrare possunt.

Exempla:

Indoeuropaea	Graeco-Pelasga	Graeca
* <i>aghomai</i> vb.	ἄγομαι ‘miror’	ἄχομαι ‘maereo’
* <i>bhu(n)dh-</i> (cf. Lat. <i>fundus</i>)	πύνδαξ ‘fundus’	πυθμήν ‘fundus’
* <i>dhṛbhōs</i> (cf. Arm. <i>damban</i>)	τύμβος ‘sepulcrum’	τάφος ‘sepulcrum’
* <i>elǵhus</i> adi.	ὀλίγος adi. ‘paucus, parvus’	ἐλαχύς adi. ‘parvus, exiguus’
* <i>guli-</i>	κολεός, κουλεός ‘vagina’	γυλιός ‘saccus, marsupium’
* <i>lambh-</i> (Sanscrit. <i>lāmbhate</i>)	λαμβάνω ‘sumo, capio’	λάφυρον ‘praeda’
* <i>laku-</i> (cf. Lat. <i>lacus</i>)	λαγή ‘fossa’	λάκκος ‘fossa, favea’
* <i>ṛbhros</i> (cf. Lat. <i>imber</i>)	ἄμβρος ‘imber, pluvia’	ἄφρός ‘spuma’
* <i>swel-</i> (cf. Sanscrit. <i>svāṛati</i>)	σέλας ‘splendor, fulgor’	ἔλη ‘calor et splendor solis’
* <i>sūs</i> (cf. Lat. <i>sūs</i>)	σὺς ‘sus, porcus’	ὕς ‘sus, porcus, porca’
* <i>terāb-no-</i>	θεράπνη ‘domicilium’	τέραμνα ‘domus, cubiculum’

In vocabulario Graeco servantur etiam Pelasga vocabula, quae respondentibus Graecis formis carent, at praebent eas aliarum Indoeuropaeae originis linguarum, in hisce Palaeoindicae (Sanskriticae), lexica.

Exempla:

Indoeuropaea	Graeco-Pelasga	Sanscritica
* <i>wostu</i>	ἄστῦ, φάστῦ ‘urbs’	<i>vāstu</i> ‘sedes’
* <i>tolə₂mo-</i>	θάλαμος ‘cubiculum, cubile’	<i>talima-</i> ‘solum, pavementum’
* <i>piḱākos</i>	πίθηκος ‘simia’	<i>piśāca-</i> ‘daemon malignus’
* <i>tokus</i>	ταχύς adi. ‘celer, velox’	<i>taku-</i> adi. ‘citus, festinus’

Pleraque Pelasga vocabula Germanicorum sermonum propria exempla alternant:

Indoeuropaea	Graeco-Pelasga	Germanica
* <i>bhlōs-</i>	βλαστάνω ‘germino’	Theod. <i>bluost</i> ‘flos’
* <i>bhrgʰos</i>	πύργος ‘turris, arx’	Got. <i>baurgs</i> ‘arx’
* <i>grōk̑(y)os</i>	κρωσσός ‘arceus’	Theod. <i>kruog</i> ‘arceus’
* <i>kweid-</i>	σῖτος ‘frumentum, triticum’	Got. <i>hvaiteis</i> ‘triticum’
* <i>k^werə₂nā</i>	Mycen. <i>qe-ra-na</i> ‘vas’	Isl. <i>hverna</i> ‘olla’
* <i>selə₂kos</i>	σέλαχος ‘pisciscartilaginosus’	Theod. <i>selah</i> ‘phoca’
* <i>swel-</i>	σέλως ‘splendor, fulgur, nitor’	Pal.-Angl. <i>swelan</i> ‘ardere’
* <i>swel-i-</i>	σελις ‘transtrum’	Theod. <i>swelli</i> ‘limen’
* <i>swīghā</i>	σιγή ‘silentium’	Theod. <i>swigēn</i> ‘taceo’
* <i>wrdhom</i>	ῥόδον ‘rosa’	Angl.Sax. <i>word</i> ‘vepres’

Etiam suffixa Pelasga plane Indoeuropaeae originis sunt. Pelasgum suffixum -ισο- / -ισα in locorum nominibus: Λάρισος, Λάρισα, Ἰλισσός observandum, eisdem aut simillimis Slavicis (cf. oppidi nomen Καλισία, nunc Polon. *Kalisz*), Lituanicis (ut fluvii nomen *Dubysa*), Illyricis (ut *Brundisium*) suffixis confertur. Pelasgis locorum nominibus suffixo -vθ- (< Indoeurop. *-nt-) insignitis multa Indoeuropaeorum gentium locorum nomina, ut Campanum *Surrentum*, Illyricum *Bolentium*, Polonica *Łanięta*, *Damięty*, bene respondent.

V. Georgiev (1957) et D. Dečev (1952, ²1960) – insignes glottologi Bulgari linguas Pelasgam et Thraciam praecipue sibi affines fuisse arguerunt. Ambarum linguarum enim propria sunt eadem historicae conversionis phonetica principia.

I. Duridanov (1995), qui tertius est Indoeuropaeae glottologiae peritus Bulgarus, Thraciae et Pelasgae linguae phoneticorum principiorum concordantiae tabellam paravit. Quā fere omnia phonetica sermonis Pelasgi principia eadem ac Thracia esse demonstravit.

Indogermanica	Thracia	Pelasga
ō	a	a
ō̄	ō̄	ō̄
ǎ	a	a
ě	ě	ě
ē	ē, postea ī	ē
um̄ ū	um, un (om, on)	um, un (om, on)
ul̄	ul, ur (ol, or)	ul, ur (ol, or)
p t k	ph th kh	ph th kh
b d g	p t k	p t k
k	s (p)	s (p)
ĝ ĝh	z (d), d	z (d), d
en ante consonantem	in	in
kt	tth (th), t	tth, th

Unum quidem satis magni momenti principium phoneticum est a Hermanno Grassmann glottologo Germano detectum, quod Pelasgi sermonis proprium, Thraciae autem linguae alienum est. Nempe, si uno in Indoeuropaeo vocabulo duae consonantes aspiratae exstiterant, tum una, praesertim antecedens, apud Indos, Graecos, non secus apud Pelasgos aspiratione privata est. In lingua Sanscritica et Graeca aspiratarum et aspiratione privatarum consonantium oppositio omnino servatur, quod Sanscrit. *bāhuḥ*, Graec. *πῆχυς* Indoeuropaeam principalem vocabuli formam **bhāĝhus* ‘brachium’ continuantes ostendunt. Idem Sanscrit. *bodhate*, Graec. *πέϋεται*, quae verba Indoeuropaeum **bheudhetai* ‘animadvertit’ continuant, monstrant.

Lingua Pelasga Indoeuropaeas consonantes aspiratas sonoras suis consonantibus sonoris reddit, Indoeuropaeae autem consonantes sonorae aspiratione privatae Pelasgis consonantibus tenuibus permutantur. Hunc ad modum ex Indoeuropaeā radice **bhergho-* ‘mons’ derivata Pelasgae originis locorum nomina: Creticum Πέργαμον, Atticum Περγασή consonantes suas transformaverunt, quum contra in Thracis locorum nominibus: Βέργα, Βέργιον, non aliter atque in Germanico (cf. Theod. *Berg* ‘mons’) ambae (olim in Indoeuropaeo aspiratae) consonantes aequaliter tractatae sunt.

Duridanov item Pelasgi et Thraci lexicorum differentiam recte animadvertit. Pelasga vocabula saepius etymologice Germanicis analogis respondent, sermo Thracius autem magnam lexicis partem communem cum linguis Balticis Slavicisque habet. Thracia nomina Ζαϊκκα, Κοζακς Polonicis appellationibus *Zajac* ‘lepus’, *Koza* ‘capra’

bene respondent. Licet igitur sermones Pelasgum et Thracium non pro dialectis eiusdem linguae, at pro duabus propinquis linguis habere.

Historicis comparativisque studiis et investigationibus Pelasgorum linguam Praegraecam vicinarum gentium, praecipue Thraeciae, sermonibus propinquam et Indoeuropaeam origine esse clare demonstratum est. Haec facta a glottologis detecta plane cum eis, quae de Pelasgorum religione, cultu et traditionibus scimus, congruunt. Pelasgi enim aeque ac vicinae Thracum, Macedonum Graecorumque gentes progenitorum traditionem continuantes Indoeuropaeam hereditatem in religione, cultu et moribus servaverunt.

OPERA SELECTA

- Carnoy, A. 1955. *Dictionnaire étymologique du proto-indo-européen* (Bibliothèque du Muséon 39), Louvain.
- Carnoy, A. 1957. *Dictionnaire étymologique de la mythologie gréco-romaine*, Louvain.
- Carnoy, A. 1957a. *Dictionnaire étymologique des noms grecques de plantes* (Bibliothèque du Muséon 46), Louvain.
- Detschew, D. 1952, ²1960. *Charakteristik der thrakischen Sprachen*, Sofia (editio secunda emendata: *Linguistique Balkanique* 2, 1960, 145–213).
- Duridanov, I. 1995. “Thrakisch – Dakisch – Pelasgisch”, [in:] M. Ofitsch, C. Zinko (edd.), *Studia Onomastica et Indogermanica. Festschrift für Fritz Lochner von Hüttenbach zum 65. Geburtstag*, Graz, 45–57.
- Georgiev, V. I. 1937. *Die Träger der Kretisch-Mykenisch Kultur, ihre Herkunft und ihre Sprache*, t. 1–2, Sofia.
- Georgiev, V. I. 1941–1945. *Vorgriechische Sprachwissenschaft*, t. 1–2 (= GUS 37, 41), Sofia.
- Georgiev, V. I. 1949. “État actuel des recherches et coordination du travail dans le domaine des langues anciennes balkanoasiatiques”, *Archív Orientální* 17, 275–287.
- Георгиев, Вл. И. 1957. *Тракийският език*, София.
- Georgiev, V. I. 1958. “Das Pelasgische”, [in:] E. Sivertsen (ed.), *Proceedings of the Eighth International Congress of Linguists*, Oslo, 406–413.
- Georgiev, V. I. 1966. *Introduzione alla storia delle lingue indoeuropee*, Roma, Edizioni dell’Ateneo.
- Georgiev, V. I. 1966. „Was stellt die Pelasgertheorie dar?“, *Lingua* 16, 263–273.
- Georgiev, V. I. 1981. *Introduction to the History of the Indo-European Languages*, Sofia.
- Haas, O. 1951. „Substrats et mélange de langue en Grèce ancienne“, *Lingua Posnaniensis* 3, 63–95.
- Haas, O. 1959. „Die Lehre von den indogermanischen Substraten in Griechenland“, *Linguistique Balkanique* 1, 29–56.

- Haas, O. 1959. „Ἐλαίφον: Das Öl und die ersten Indoeuropäer Griechenlands“, *Lingua Posnaniensis* 7, 54-76.
- Hamp, E. P. 1983. „Prehellenic μύλη“, *Živa Antika* 33, 12.
- Hamp, E. P. 1998. „*μῆrbh-/μῆrembh- and Prehellenic βέμβομαι, βύμβος“, *Živa Antika* 48(1-2), 16.
- Harmatta, J. 1964. „Das Pelasgische und die alten Balkansprachen“, *Linguistique Balkanique* 9(1), 41-47.
- Hester, D. A. 1965. „«Pelasgian» - a New Indo-European Language?“, *Lingua* 13, 335-384.
- Merlingen, W. 1955. *Das „Vorgriechische“ und die sprachwissenschaftlich-vorhistorischen Grundlagen*, Wien.
- Merlingen, W. 1962-1963. „Zum ‘Vorgriechischen’“, *Linguistique Balkanique* 4, 25–55, et 5(2), 5–44.
- Merlingen, W. 1963. *Eine ältere Lehnwortschicht im Griechischen*, vol. 1: *Lautgeschichte* (= Österreichische Akademie der Wissenschaften 17), Wien.
- Merlingen, W. 1967. „Fair Play for Pelasgian“, *Lingua* 18, 144-167.
- Windekens, A. J. van. 1952. *Le pélasgique, essai sur une langue indo-européenne préhellénique* (= Bibliothèque du Muséon 29), Louvain.
- Windekens, A. J. van. 1954. *Contributions à l'étude de l'onomastique pélasgique* (= Bibliothèque du Muséon 35), Louvain.
- Windekens, A. J. van. 1957. „Études sur le vocabulaire pré grec et pré latin“, *Lingua Posnaniensis* 6, 9-18.
- Windekens, A. J. van. 1959. „Études sur le vocabulaire grec et pré grec“, *Lingua Posnaniensis* 7, 47-53.
- Windekens, A. J. van. 1958. „Homerica et Pelasgica“, [in:] E. Grumach (ed.), *Minoica. Festschrift zum 80. Geburtstag von Johannes Sundwall*, Berlin, 446-450.
- Windekens, A. J. van. 1959. „Phonétique des mots grecs d'origine préhellénique“, *Phonetica* 3, 209-216.
- Windekens, A. J. van. 1960. *Études pélasgiques* (= Bibliothèque du Muséon 49), Louvain.
- Witczak, K. T. 1998. „Three Cretan Glosses of Pre-Greek Origin“, *Živa Antika* 48(1-2), 17-20.